



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola VIII. Callisti Papae II. Ad Evmdem. Eiusdem argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## EPISTOLA VIII.

## CALLISTI PAPÆ II.

AD EVMDEM.

Eiusdem argumenti.

*Callistus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Ottoni  
Bamberensi episcopo salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**S**ANCTORVM patrum præceptis & canonicis sanctiōnibus demonstratur, quod prædia & possessiones eccliarum, quæ vota fidelium, precia peccatorum, & pauperum patrimonia nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quæ enim diuinæ maiestatis obsequio, & cælestium secretorum vñsi sunt dicata, non decet in alienum ius redigi, vel in alterius seruitii formam transmutari. Nempe (vt beati Symmachi papæ verbis loquamur) possessiones, quas vñusquisque ecclesiæ propriæ dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis aut distractiōnibus, vel sub quocumque arguento, non patimur. Ea propter nos tuis iustis postulationibus annuentes, manflos, qui episcopalis mensæ tuæ seruitio dediti sunt, in eodem statu, in quo bene a te dispositi cognoscuntur, futuri temporibus permanere præsentis scripti nostri confirmatione sancimus; statuentes vt nulli successorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, siue in laicorum beneficium tradere, vel in vñsi alios commutare. Sed sicut a te dispositum est, de vnoquoque prædictorum mansorum denarius vñus annis singulis Bamberensi ecclesiæ pro anima imperatoris Henrici fundatoris eius ad concinnanda luminaria conferatur. Abbatias vero & regulares canonicas per industriam tuam in religionis ordine stabilitas, & alia a te recte constituta, nulli hominum facultas sit in posterum immutare. Si quis autem contra hanc confirmationem venire temerario ausu præsumperit, excommunicationis vinculo subiacebit. Data Laterani, Idibus Aprilis, indictione secunda.